De Ratione Fidei (Latin)

Faustus of Riez (c. AD 405–490)

SermonIndex.net / Church Fathers

De Ratione Fidei

Fausti Episcopi De Ratione Fidei — I

Quid respondendum est his, qui legentes in euangelio ita intellegunt: pater maior me est, (ut) filium in diuinitate minorem esse blasphement?

Responsio.

Secundam auctoritatem omnium scripturarum duae sunt natiuitates in Christo, una ex patre initium nesciens, quia legimus: in prin cipio erat uerbum et uerbum erat apud deum et deus erat uerbum, et qui in principio erat, intra se concludit omne principium. ex matre uero initium sumpsit, sicut legimus per Esaiam: ecce uirgo in utero accipiet et pariet filium et uocabunt nomen eius Emanuel, quod est interpretatum: nobiscum deus, id est latens in humana fragilitate maiestas, sicut in Ioanne euangelista legimus: et uerbum caro factum est et habitauit in nobis: in nobis, id est in fragilitate corporis nostri.

Item de Mariae uirginis generatione: et porta erat clausa et non est aperta, tamquam si interrogaretur, cur aperta non esset, adiecit: quia dominus transiuit per eam. porta clausa, id est signaculum pudoris, immaculatae carnis integritas. non enim uiolata est partu, quae magis est sanctificata conceptu.

Item de Christi gemina dei hominisque substantia: et erunt, inquit, duo in carne una, id est, deus et homo unus Christus, quod apostolus de Christo et ecclesia, id est de Christi corpore praecepit intellegi, sicut ait: et erunt duo in carne una. ego autem dico in Christo et in ecclesia. quod aperte exposuit ad Romanos: patres nostri, ex quibus Christus secundum carnem, adseruit hominis carnem, consequenter adserit partes dei dicens: qui est super omnia deus benedictus in saecula. tam perfecta hic filii eminentia declaratur, ut dici de patre maiora non possint. nam si initium haberet, non esset super omnia, sed inter omnia, quae pro condicione facturae intra initium continentur. sed Christus, quia aequalis est patri, nulla temporis, nulla aetatis lege concluditur. euidenter et ad Philippenses apostolus duas Christi natiuitates et duas substantias praedicat dicens: qui cum in forma dei esset, formam serui accepit. quibus regulis plena sunt uolumina noui et ueteris testamenti. similiter et Iob praedicat eximius propheta: et in carne mea uidebo deum. quod de illo tempore prophetauit, quando Christi deitas habitu nostrae carnis induta est.

Quia ergo, ut praefati sumus, uerbum caro factum est et duos esse constat hominem et deum in carne una, modo homo loquitur patri, modo deus, modo uisibilis ex matre, modo inuisibilis ex patre. da uerba hominis. ipse in euangelio dicit: filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet. ostendat hic pauper filius hominis diuitias suas in gloria diuinitatis: omnia, inquit, quae pater habet, mea sunt, dum dicit omnia, nihil hic reliquit, quo minus haberet a patre. omnia, id est, unius deitatis potentiam, substantiam, maiestatem. quis eum minorem dicere non tremiscat, qui se patri generaliter et per omnia ueridicus testis exaequat, sicut de eo euangelista pronuntiat: ideo nolebant eum Iudaei interficere, quia patrem suum dicebat deum aequalem se faciens deo, et ad Philippenses: non rapinam arbitratus est esse se aequalem deo, id est, aequalitatem diuinitatis, quam rebellis angelus assumere uoluit per rapinam, Christus possidet per naturam.

Cum ergo credis ei, cum se in hominis substantia dicit minorem, crede ei, cum se in diuinitatis substantia profitetur aequalem. loquatur filius hominis: pater, inquit, maior me est, loquatur filius dei: ego et pater unum sumus. quasi homo esurit, quasi deus quinque milia esurientium quinque panibus obsequio creaturae suae exsatiat. quasi homo in cruce pendet, quasi deus in paradisum de cruce latronem gestis per omnem mundum loquentibus introducit dicens: amen dico tibi. hodie mecum eris in paradiso. quo tempore corpus domini in tumulo fuit, anima in inferno, diuinitas in paradiso et in caelo ubique intra se omnia supereminenti maiestatis immensitate complectens.

Secundum hominem minor dicitur, quando comprehenditur, flagellatur, crucifigitur, moritur, sepelitur, secundum deum per uirtutem resurrectionis in caelestia sublimatus, quasi homo suscepta morte, quasi deus super mortem. secundum hanc regulam modo pauper est, modo diues, modo minor, modo aequalis, modo dominus, modo seruus.

Tunc ergo minor patre credatur, quando angelorum conditor paulo minus ab angelis minoratur, sicut in octauo psalmo legimus: minorasti eum paulo minus ab angelis, tunc ergo patre minor dicatur, quando serui formam suscepisse perscribitur, quando etiam matre iunior inuenitur, quando de se ipso in uicesimo primo psalmo dicit: foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraeruerunt omnia ossa mea. quod ergo minor patre secundum carnem et secundum hominem nuncupetur, innumeris scripturarum testimoniis declaratur.

De eius diuinitate ita ad Titum apostolus dicit: apparuit gratia dei saluatoris nostri, et iterum: spectantes beatam spem et aduentum gloriae magni dei et saluatoris nostri Iesu Christi. immane piaculum est, ut per infideles hominum blasphemias minor esse dicatur, quem magnum deum ipsa ueritas profitetur. nam et Thomas apostolus in euangelio Ioannis, ubi post resurrectionem corpus hominis crucifixi per clauorum signa cognouit, deum, qui intra hominem latebat, apostolica et euangelica auctoritate confessus est ita dicens: dominus meus et deus meus. si fides adsit, aperta est ratio, qua Christus nunc minor nunc aequalis patri sacris uoluminibus asseratur, sicut ipse de se dicit: ego primus et nouissimus. indubitanter agnosce, quod priorem non potest habere, qui primus est. item: ego sum α et ω, et sicut a litteram nulla praecedit, ita et filium dei nulli secundum constat esse, quia deus est.

II

Quid respondebimus eis, qui spiritum sanctum dicunt minorem deum aut, quod sceleratius est, ministerialem magis quam deum abrupta impietate pronuntiant?

Responsio.

Quomodo creatura dicetur, qui domini creator ex Maria conprobatur, sicut legimus: conceptus de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine. Christus enim non de substantia spiritus sancti, sed de potentia, nec de generatione, sed iussione et benedictione conceptus est. et sicut a patre, ita etiam a spiritu sancto ad redemptionem nostrae malitiae destinatus est ipso de se per Esaiam loquente: misit me pater et spiritus eius.

Si spiritus sanctus minor creditur, quomodo se filius sicut a patre, ita etiam a sancto spiritu missum esse testatur? spiritus sanctus ipse locutus est in apostolis, ipse efferbuit in prophetis dicente beato apostolo Petro in epistula sua: non, inquit, ex hominibus allata est prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti dei homines. et saluator in Matthaeo ita ait ad discipulos suos: non, inquit, uos estis, qui loquimini, sed spiritus sanctus. similiter et Dauid plenus spiritu sancto et, qui per eum loquebatur, manifesta uoco pronuntiat dicens: audiam, quid loquatur in me dominus deus. quando ergo uasa dei sancto spiritu ebria loquuntur et dicunt: haec dicit dominus deus uel: deus deorum dominus locutus est, hunc dominum deum spiritum sanctum manifestum est.

Et ad Corinthios deum esse spiritum sanctum euidenter ostendit, dum dicit: uos estis templum dei. et quis esset hic deus, consequenter edocuit ita dicens: spiritus, inquit, sanctus habitat in uobis. deus ergo templi et spiritus sanctus habitator templi una persona est. et in actibus apostolorum Petrus euidenter de sancti spiritus deitate ita ad Ananiam dicit: quis te mentiri compulit spiritui sancto? non es, inquit, hominibus mentitus, sed deo. quid tam euidens? ecce deo uotum promisisse memoratur et spiritui sancto mentitus arguitur. si spiritus sanctus deus non esset, minime ad eum sacrilegae falsitatis iniuria peruenisset. item ad Corinthios apostoli uox est: nescitis, quia membra uestra templum sunt spiritus sancti? glorificate et portate deum in corpore uestro. illum utique deum portare praecipiuntur, cuius templa esse perhibentur.

III

Quid respondebimus his, qui dicunt: non potest non prior esse pater, qui prior in baptismo nominatur?

Responsio.

Et spiritus sanctus primus est, sine quo primum nominasse non sufficit. nec numerum autem nec ordinem recipit, qui in trium substantia unus et solus est.

IV

Quid respondebimus eis, qui impio ore blasphemant dicentes: ideo sanctus spiritus non est deus, quia nihil operatus est quasi deus?

Responsio.

Uideamus, si in operibus eius nihil diuinitatis appareat. primo loco peccatorum remissio non tribuitur, nisi sanctus spiritus inuocetur. et quia peccata sine sancto spiritu non donantur, etiam de ipso apertissime dictum esse nouerimus: nemo, inquit, potest dimittere peccata nisi unus deus. quem ergo reparatorem hominis uides, auctorem hominis esse non dubites.

Ipse in primis absque peccato hominem fecit, qui in secundis a uinculo peccati hominem cum patre et filio regenerator absoluit. uide quomodo apostolus in epistula Corinthiorum opera spiritus sancti uirtutesque concelebrat ita dicens: unicuique autem datur per spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia curationum in uno spiritu, alii genera linguarum, operatio uirtutum, alii prophetia. haec omnia operatur unus atque idem spiritus diuidens singulis prout uult.

Et quomodo dicimus, ministerialis est, qui miracula tantorum charismatum arbitrio propriae uoluntatis et iure dominationis exercuit? de quo sub trinitatis distinctione legimus per prophetam: uerbo domini caeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis uirtus eorum. spiritu oris dixit propheta, non operis, ut eum tamquam de substantia patris noueris processisse. et ideo dicit: spiritus, qui ex patre procedit. spiritu oris eius omnis uirtus eorum: caelorum uirtutes, id est angelos, dominationes, thronos ac principatus, sicut per patrem et filium ita etiam per spiritum sanctum creatos esse ueritas loquitur.

Non ergo sine immani sacrilegio creaturam dixeris, quem totius caelestis militiae perspicis creatorem. secundum haec in trium proprietate ac numero personarum unam potentiam, unam gloriam, unam cognosce . naturam, ne cum Iudaeis ac Patripassianis sine tribus personis filium aut sanctum spiritum neges aut sine una substantia cum gentilibus tl\'ęs deos credere comproberis.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Fausti Reiensis praeter sermones pseudo-eusebianos opera*** edited by August Engelbrecht (Prague, Vienna, Leipzig, Tempsky, Freytag: 1891) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 21), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.